





S P O N G I A A B S-  
terforia

316

T R O  
**C O N F E S S I O-**  
N E A V G V S T A N A,  
ΓΝΗΣΙΩΣ AC PROPRIE SIC  
A P P E L L A T A, H O C E S T, I M-  
peratori Carolo V. Anno 1530. Augustæ  
in Comitijs exhibita.

*In qua exutienda*

S V B A V S P I C I I S S A-  
C R O S A N C T A E T R I N I T A T I S  
P R A E S I D E G E O R G I O M Y L I O  
D. ac Professore Theologo, responsionum operam  
præstare pro virili conabitur

M. I A C O B V S P F L A V M I V S  
Augustanus die 18. Septemb. hora &  
loco consuetus.



J E N E

Typis Tobia Steinmanni. Anno 1591.

b. 8.





## V P E R V E R G E N T E

ad occasum Sole, cum tristior paulò circa horizontem nostrum nubecula se effunderet: exortus est repente quidam vespertilionum strepitus, ex quorum grege progressus unus gnauiter stridulus, cæteris non maior: sed audacior, cum qua parte Ecclesiæ & Religionis parietes contaminaret, non statim inueniret: Augustanæ Confessioni cepit adhærescere, conspersa in eam fætidissima vrinæ lue, Quam arrepta ocyus spongia, operæ pretium me facturum puto, si extergam, & fætorem tam abominabilem, ab Ecclesiæ & Religionis prioris nitore quam longissimè propulsem,

## II.

Sic autem fætet lues ista, Posteriorem editionem articulorum Augustanæ Confessionis, priori anteferendam, eamq; nostrarum Ecclesiarum Confessionis autoritatem propriè obtinere.

## III.

Prior est, quæ à summo Imperij magistratu requisita; Electorum & Principum ac statuum Euangelicorum iussu diligenter deliberata: à Luthero, & præcipuis illorum temporum Theologis accurate pensitata; acerrimo reformatorum ordinum iudicio in comitijs publicis Anno 1530. Augustæ exhibita, & sic à loco Augustana appellata: symbolum esse publicum, & communis tessera debuit earum Ecclesiarum, quæ facto à Pontificijs diuertio, commune cum alijs hæresibus & schismatibus sibi nihil esse voluerunt.

A 2 Posterior

### III.

Posterior ea est , quæ partum elephanti imitata , de-  
cennio pōst , ab vno priuato homine , nullo iubente ma-  
gistratu , Ecclesia nulla conscientia , Theologo palam assen-  
tiente nemine , extra limites confessionis , in umbra atq;  
otio conscripta , nemini oblata , Augustam vidit nun-  
quam : sed Vitebergæ edita est , vt iam ne nomine qui-  
dem Augustanæ gaudere , aut eo certè frui nihilo verius ,  
quām Ierosolymitanæ possit.

### V.

Quod illam sic perminxit vespertino , ut posteriorem  
editionem priori anteferendā dicat : suspicione non caret  
grauiissima . Alterum etiam cum scelere coniunctum est ,  
quod posteriorem , Confessionis nostrarum Ecclesiarum  
autoritatem propriè obtinere effutijt . In quo altero ,  
quia asseruit , de quo ipsi cum Ecclesijs nostris nondum  
conuenit , fortè ne ea ipsa quidem , in qua stridet , Ecclesia  
consentit : tempori & veritati ipsi id merito relinquimus .  
In priori ventilando operam nunc aliquam collo-  
cabimus ,

### VI.

Suspitionem mouet finis consideratio , quo duci-  
stos necesse est , qui affirmare audent , quod ausit nemo ,  
nisi qui frontem omnem perflicuit . Is verò est , Caluinismi  
speciosa incrustatio , quem quamuis secundaria edi-  
tione minimè doceri , haud ignorant : quia tamen taceri  
eadem , hoc est , non damnari vident ; magnam beneficij  
partem in cæco isto latibulo collocatam esse existimant ,  
dum secundorum ventorum optatior aura aliquando  
aspiret .

### VII.

Barda verò partim , partim dolosa atq; impudens  
istorum

istorum hominum palliatio. Et qua inquit Lutherus , ho-  
mines istos vel conscientia , vel religione esse putaueris ,  
quos suæ ipsosmet pudet fidei , adeò , vt sub peregrino  
eam prætextu venditent . Hæc impietas geminum mere-  
tur infernum . Vnum , quod mendacio verbum D e i de-  
prauant : alterum quod fidem ipsi suam abnegant , &  
quam Verbo D e i consentaneam esse gloriantur , eam  
profiteri non audent .

3068  
Epistola ad  
Francfor-  
tenses.

### VIII.

Miram verò libri istius symbolici fortunam . Nuper Ambrosius  
reperti sunt , qui Confessionem Augustanam cum Cing-  
liana vnam & eandem esse , nec sensu discrepare vtramq;  
affirmare non sunt veriti . Nunc vt Cingliana obtineat ,  
abrogata Augustana , de surroganda aliena laboratur .  
Hic caudis connexæ , capitibus dissident Simsonis vul-  
peculæ .

### IX.

Candidius Cinglius cum complicibus , qui se socios  
Confessionis Augustanæ profiteri , ingenuè olim recusa-  
runt . Candidius & Caluinus , qui Augustanæ confessio-  
nis profitendæ in Galliæ regno , libertatem olim à Rege  
oblatam repudians , facem eam esse dixit , qua vniuersa  
Gallia conflagratura sit . Candidius & Beza , qui nisi com-  
moda admissa interpretatione , subscribere se illi posse ,  
diserte negauit .

### X.

Sed cautius Attico compendio vespertilionum hoc  
genus sibi consulit . Nam vt de reddendis rationibus so-  
licitus Aheniensis quidam , potius ne omnino redderet  
rationes , cogitare iussus fuit , quām quomodo eas redde-  
ret : sic non qualis sit confessio Augustana sollicitè sibi  
cogitandum putant isti : sed potius vt nulla omnino sit ,  
laborandum esse existimant .

Prima affirmationis ratio affertur, ex ipsa substitu-  
Heb. 7. 18. tione, quam prioris editionis ἀθέμων esse arguit, cum  
surrogatio abrogationem: abrogatio autem, ipsa Scri-  
ptura teste, vitium & defectum manifestè indicet.

XII.

Quæ nam ista dicitur substitutio? vbi, in quibus co-  
mitijs, in quo conuentu? quo anno? quibus autoribus  
facta? Hic magis mutus est vespertino, quam piscis: quasi  
substitutionis titulo, & male secundum Accursium, &  
peccimè secundum historicos posito, satis sit, sic esse hoc  
ab ipso positum, scilicet.

XIII.

Ferat igitur opem vespertilioni Priscianus, & Sub-  
stitutionem appellet, Scriptionem tempore posterio-  
rem, siquidem vapulare ipsi ab omnibus Grammaticis  
volupe fuerit.

XIV.

Quid ergo? Substitutio ista statim ἀθέμων id est ab-  
rogationem inferet? iam ergo commentario Euangeli-  
co Ioannis, qui postremus inter Euangelicos scriptus est,  
abrogati fuerint reliqui. Iam etiam antiquatum sit  
oportet Ioannis Euangeliū. Substitutum est enim ( ut  
cum vespertilione loquar ) hoc est, aliquo pōst tempore  
scriptum est Nicodemi Euangeliū. Imò omnia fuerint  
abrogata oportet Euangelia priora. Substituta sunt enim  
hoc est, scriptionis tempore posteriora sunt Acta Pilati,  
a Iuliano de Christo edita.

XV.

Iam medij istius ratio, cum prædicato questionis  
ē diametro pugnat; Questio enim est, vtra editio alteri  
præferenda, Vtra melior sit. Fertur autem nihilominus,  
cui præfertur aliquid. Et comparatio non est in differen-  
tibus

307

tibus genere: sed gradu duntaxat. Bonum igitur nihilo-  
minus est, quo aliud melius est. Quod si ferri potest prior  
editio, quamuis prælata posteriore: quomodo abroga-  
ta eadem esse prohibebitur? Et iam non meliorem hac  
posteriorem esse consequetur: sed bonam duntaxat po-  
steriorem; malam autem atq; vitiosam simpliciter prio-  
rem alteram.

### XVI.

Accedit illud, quod qui farinæ eiusdem fuerunt  
cum vespertilione isto, hactenus posteriorem prioris  
duntaxat declarationem esse, eodemq; nomine ab au-  
tore suo scriptam fuisse asseruerunt. Sic tomorum Philip-  
picorum congestor, posteriori titulum hunc præfixit,  
Iidem articuli copiosius & explicatius declarati VVor-  
matiæ Anno 40. &c. non mutata rerum sententia. Imò  
Philippus ipse Eccio exemplarium amborum diuersita-  
tem obijcienti respondit, Rerum eandem vtrobiq; esse  
sententiam. T. 4. f. 646. Et vespertilio ipse pugnat, Ex- Thes. 12.  
positionis causa meliorem esse priori posteriorem, &  
Orationem in melius transiisse, Rerum conditionem in-  
nouatione ista nihilo deteriorem factam esse. Quod si  
iam declaratio abrogationi æquipolle, declarata id est,  
abrogata sunto, quæcunq; noui isti homines afferunt,  
quia & secum ipsi, & cum alijs vera sentientibus semper  
pugnant,

### XVII.

Additum est rationi primæ hoc corollarium, Neq;  
improbante Luthero; neq; reclamantibus alijs Ecclesiæ  
membris, reuisionem istam articulorum factam esse.

### XVIII.

Priori membro corollarij si maximè inesset veritas:  
causæ obtainendæ momenti nihil accederet. Quia enim  
publicus

publicus & ut ita loquar, Ecclesiasticus fuit liber ite homologeticus; tam non fas fuit Lutheru in priuatam libri istius mutationem à quoquam susceptam consentire; quam fuit nefas Philippo eam, priuato ausu suscipere.

XIX.

An verò vespertino vnus, testes complures, exceptione omni maiores, mendacij arguet, qui Lutherum in Philippo factum istud acriter sàpe reprehendisse attestati sunt? Aut si ausus istud fuerit, an maiorem sibi, quam tabulis & commentarijs publicis fidem iri habitum persuadebit?

XX.

Quid sibi porrò illud vult, quod mox blaterat vespertino, ut ambiguus de mutatione illa Lutherus fuerit, & aduersus Melanchthonem expostulationem instituerit: tamen &c. Quæ hæc vertigo? quæ vacordia? vix calamus ipsi aruerat, ex eo, quod scripserat, Lutheru non improbante mutationem factam esse: iam mox alterum scribit, Lutherum de ea mutatione fuisse ambiguum. Addit & tertium, Lutherum eo nomine expostulationem aduersus Melanchthonem instituisse. Aut expostulationem hoc nomine Lutherus instituit: sic non probauit eandem: aut probauit: sic expostulationem instituere non potuit: aut ambiguus fuit de ea: sic neq; approbationi, neq; expostulationi locus esse poterit.

XXI.

At nouum sibi & peregrinum omnino esse gorrit vespertino, expostulationem hoc nomine à Lutheru aduersus Melanchthonem fuisse institutam. Id mirum quidem est minimè. Non enim quod est, sed quod vult, credit, teste Seneca, qui cupit errare.

Quod

**XXII.**

Quod Lutherò expostulanti satisfactum à Philippo esse garritur, cuius rei octennij publica quies, & silentium usq; ad mortem indicio sit: id nugatorium est, partim quia calculus non respondet, & vix quinquennium inter publicatam mutationem, & mortem Lutheri intercessit: insuper de consilio mutationis anno vix altero ante obitum subolere Lutherò potuit: partim quia silentium illud protestatione solenni, imò acris expostulatione, de qua modò dictum, manifestè interruptum fuit.

308

**XXIII.**

Ab alijs Ecclesiæ membris reclamatum esse, quod negatur: pudore tanto, quanta veritate fieri, nimirum utraq; nulla, certo ipso certius est.

**XXIV.**

Facilè hīc hostes Ecclesiæ, Pontificios, latere patior, qui in colloquio VVormatiensi primo statim mutationis factæ anno, variationem istam Confessionis, apostasiam & prioris fidei abnegationem interpretationi, utilissimi in causa quam vis fuerunt vigiles, quorum opera Ecclesia excitata, aduigilare cautius, & limites sui Pomærij diligentius obseruare cepit.

**XXV.**

Certè reclamatio fuit, cum Philippus ipse, & reliqui collocutores Euangelici, statim altero post factam mutationem anno, in colloquio Ratisponensi, repositis, quæ in mutatione partim variata, partim expuncta operum fuerant, verbis, pristinum confessionis tenorem retinere, Phil. T. 4. f. 736. & facto ipso in solenni conuentu Imperiali posteriorem editionem exauthorare cogerentur.

**XXVI.**

Certè reclamatio fuit, cum misso Cancellario Pon-

B

tano,



tano, Illustriss. ipse Elector Saxoniæ, Philippum obiurgari voluit, qui priuato ausu librum Statuum Imperij, atq; Ecclesiæ publicum mutare, mutatumq; edere in publicum veritus non fuisse.

### X XVII.

Certè reclamatio fuit, cum in colloquio VVormatiensi Anno 57. die 11. Sept. Philippus iterum cum alijs

T. 4. f. 789. Theologis professus est, se pio consensu amplecti confessionem, quæ anno 1530. Imperatori Carolo V. in

Ibidem f. 792. 799. conuentu Augustano fuerit exhibita, & se ab ea nec discessisse, nec discessuros esse. Quæ ipsa formalia verba

803. T. 4. f. 80. quarto post die itidem publicè, & postridiè rursus tertia & quarta vice ibidem fuerunt repetita. Quo ipso quoq; conuentu (vt obiter hoc adiiciam) Philippus in forma quadam conciliationis controuersorum quorundam articulorum, Cingulum cum suo dogmate nominatim adhucdamnauit. Quod est à compilatore operū ipsius circa finem omissum. X XVIII.

Certè reclamatio fuit, quod Augustus Elector annis abhinc 30. in conuocando Numburgensi conuentu ad Principes scripsit, se non agnoscere Confessionem Augustanam, nisi eam, quæ Anno 1530. Augustæ ab inclito Electore Ioanne Saxone &c. Carolo V. oblata fuerit, in qua vt ipse educatus sit: sic eam se ad extremum vitæ halitum constanter tuiturum.

### X XIX.

Certè reclamatio fuit, quod VVolfgangus Princeps Anhaldinus eodem tempore paratum se esse scripsit, ad subscribendam iterum sua manu confessionem Augustanam: verum ita demum, si nihil in ea mutatum sit.

### X XX.

Certè reclamatio fuit, dum circa idem tempus Respub.

pub. Norinbergensis de variato Augustanæ Confessionis prototypo grauiter conquesta, ratam quidem ipsa quoq; habere voluit iteratam Augustanæ Confessionis subscriptionem; sed hoc protestata categoricè, ut non variata huc adhiberetur: sed in prototypo solo confirmatio ista fieret.

XX XI.

Certè reclamatio fuit, quod Principes & Status propè omnes Euangelici, seposita atq; exclusa editione posteriore, nonnisi germanum illud & γνήσιον Confessionis Augustanæ περτότυπον solenniter in illo ipso conuentu subscriptione sua & sigillis confirmare voluerunt, datis ad Imperatorem literis, quibus significabant, se in ea tanquam proprio Confessionis suæ symbolo constantissimè acquiescere.

XX XII.

Vt innumera alia, quæ historiarum monumentis comprehensa extant, consultò hīc latere patior; certè reclamatio fuit, quod tres Electores, Principes 22, Comites 24. Ciuitates Imperiales 35. & his plures etiam Status Euangelici alijs in Formulam Concordiæ præfati, luculenter attestati sunt, grauissimis se consilijs duci, vt solum illud germanum & genuinum prototypon, pro confessionis suæ symbolo indubitato agnoscant.

XXXIII.

In nunc vespertino, si volare nequis, & reuisioni, quam tibi homini parum Theologo, iuridicè appellare libet, non esse reclamatum scribe ab alijs Ecclesiæ membris.

XXXIV.

Secunda probationis ratio petitur à iudicio Ecclesiæ, quæ priorem illam editionem propter hanc posteriorem planè neglexerit.

XXXV.

Si abolita esset omnis superiorum temporum memoria, saltem id modestiæ fuisset in homine, vix ses-

B 2 quialteram

309

qui alter am Germaniæ Ecclesiam contemplato , percon-  
tari ex vicinis , num trium iugerum latius esset Ecclesiæ  
Euangelicæ pomærium. Statim autem comperisset , vnius  
& alterius territorij à se peragrati ambitu , vniuersam  
Ecclesiæ circumferentiam non concludi.

XXXVI.

De superioris Germaniæ Ecclesijs certum est , ab  
istis priorem editionem propter posteriorem hanc adeò  
non neglectam esse , vt paucis etiam ista magnopere , nisi  
ex quo tempore exauthorata est , innotuerit.

XXXVII.

Iam ne de vlla quidem Saxoniarum omnium , ac  
finitimarum Ecclesiarum constat publicè , quæ non di-  
cam priorem propter hanc posteriorem neglexerit planè  
haec tenus , sed pari saltē autoritatis loco habendam  
hanc cum priori censuerit . excepto nido uno atq; altero ,  
in quibus parandis sibi atq; conciliandis , vulpeculæ  
Caluinisticæ eo ipso compendio usæ primūm sunt , quod  
nunc suo instituto vespertiliones etiam isti prætexere  
non erubescunt ,

XXXVIII.

Iam in euulgandis operum D. Lutheri tomis , prior  
editio adeò propter posteriorem non fuit neglecta pla-  
nè : vt omissa posteriori , prior istic sola locum obtinue-  
rit. In tomis vero ipsis Philippicis tantum abest , vt prior  
editio planè neglecta propter posteriorem fuerit , vt huic  
illa etiam fuerit præposita.

XXXIX.

Iam quotquot in vniuersis Germaniæ Academijs  
Euangelicis iuramenta ab ijs fuerunt requisita , qui in  
gradibus honorum assumendis de religione cauere iussi  
fuerunt , ea editionis prioris , eius nimirum quæ Anno

1530.



1530. Carolo V. fuit exhibita, formulam hactenus re-  
sonuerunt.

320

X L.

Quotiescunq; fide iubent in reformatis Ecclesijs  
ij, quibus per impositionem manuum potestas sacri  
Ministerij conceditur, eadem primæuæ confessionis for-  
mula exauditur.

X L I.

Et quoties in comitijs ac conuentibus publicis con-  
fessionis nostrarum Ecclesiarum fit mentio , symbolum  
eius definitè atq; expressè sic proponitur , vt Augustana  
confessio appelletur, quæ Augustæ, non quæ alibi scripta  
est : vt ea nuncupetur , quæ est Anno 1530. publicè in  
comitijs edita ac proposita : deniq; vt ea dicatur, quæ est  
Imperatori Carolo V. exhibita.

X L I I.

Huius expressæ conditioni Sanctio illa , quam vo-  
cant, Pacificationis religiosæ innititur : huic de libertate  
cauet : hanc publica autoritate omnibus in Imperio lici-  
tam facit : vt pacis bono cum religione ipsa insidiari vi-  
deantur , qui istam confessionem quoquo modo nobis  
exauthorare satagunt.

X L I I I.

In nunc iterum vespertino, & ne te sine litera vna ger-  
manicè volitare pateat, editionem priorem propter po-  
steriorem neglectam plane esse , mentiri desine.

X L I V.

At latuit, inquit ille, germanici sermonis exemplum  
ad nostra vsq; tempora, donec exMoguntino Cartophy-  
lacio repetitum demum est. Latinum autem auectum in  
Hispaniam, ne nunc quidem omnino , vt exhibitum est ,  
apud nos habetur.

B 3

Latuit

X L V.

Latuit *αὐτός* *ἡραφον*: sed non latuerunt omnia illius prototy whole exemplaria: in quorum certiorem fidem collationis ergo illud ex archiis Imperij (quae iste Cartophylacium Moguntinum appellat) requisitum fuit.

X L VI.

Quam iste vero præclarè beat Ecclesiæ Euangelicas, qui Latinæ Confessionis omnino, ut exhibita est, ne nunc quidem apud nos haberi exemplarvllum afferit? idq; in Hispaniam auctum inquit; quod alias quidam fanaticus Pruxellis depositum retineri scribit.

X L VII.

Vt huius mendacij vanitas magis pateat, testem contrariæ sententiæ produco Andream Fabricium, Leodium illum, quem nihil in fauorem nostræ partis scripsisse, religio pontificia arguit, cuius ille acerrimus propugnator fuit. Eius in præmonitione operi suo, quod Harmoniam Confessionis Augustanæ inscribit, hæc sunt verba: Primo loco Confessionem ipsam, non mutilatam, non arrosam, non interpolatam: sed integrum, de verbo ad verbum, ex prototypo, quod Carolo V. Cæsari oblatum fuit, descriptam collocamus. Id vero aliud non est, quam quod hodiè Formulæ concordiæ inserto, ad amissim vnde- quaq; respondet.

X L VIII.

Iam cum Vitebergæ Anno 1531. primum promulgaretur typis Georgij Rhau Confessio Augustana, disertè professi sunt editionis illius autores in præfatione, se emittere probè & diligenter descriptam Confessionem, ex exemplari bonæ fidei.

X L IX.

Quid ni vero fungos planè ac stipites facit heroas illos

322

illos Confessores vespertilio iste , qui ita oscitanter in causa grauissima res administrarint suas , vt ne quidem exemplum apud se superesse curarint Confessionis eius , quam extremo cum vitæ ac fortunarum discrimine Imperatori obtulerant. L.

Tandem odium Melanchthonis , infamiam ac superstitionem interpretatur vespertilio , si de reuocanda priore editione laboretur .

L I.

Hæc omnia ex more suo facit istud genus hominum . Latibula excutiuntur , quibus isti Calvinismum suum abdere ac celare satagunt : hæc illi confessim in Philippi odium fieri dicitant . Hæresis Sacramentaria detegitur : hic illi vt canes rabiosi in conuitia vertuntur . Nouationibus valere iussis , auita confessione & receptis moribus standum esse docetur . Isti superstitiones statim occidunt . Sed præterea nihil interim de tribus capellis .

L II.

Tertia & præcipua ratio sumitur à re ipsa seu expositio-  
nis comparatione . Nam quemadmodū secundo mox ar-  
ticulo , loco descriptionis qualiscunq; bona definitio pec-  
cati originalis inserta sit : ita in alijs quoq; articulis , vñsum  
rerum & aduersariorum improbitatem docuisse acutius  
loqui . Quò factum sit vt in melius transferit oratio . Quod  
& longum sit in omnibus ostendere : & parti isti non in-  
cumbat .

L III.

Bella verò Σποδιωξις , plenis buccis demonstrationes  
Achilleas promittere : atq; ad rem ac neruum ipsum vbi  
peruentum est , præteritionibus vti , & translationes præ-  
tendere , id est , eos scurras imitari , qui saltuum specta-  
cula professi , & ea ex spectatoribus suscitati , vbi annuen-  
tes illos audiunt , ex circo digressi , ipsosmet saltus istos  
præstare iubent .

Fungamur

LIV.

Fungamur ergo nos delegato munere , & exemplis aliquot testatum faciamus , quomodo in melius transierit oratio , & nunc conditio rerum melior sit facta in editione posteriore.

L V.

Articulo quarto fusiis quidem traditur doctrina Iustificationis in posteriore editione, quam in priori. Sed ibi error ille fædus ingeritur de Euangeliō arguente peccata , qui neq; tolerari , neq; dissimilari in libro isto symbolico à recte credentibus potest.

L VI.

Articulo quinto præterquam quod idem Coccoymus de Euangeliō prædicante pænitentiam & arguente peccata ingeminatur : de fidei donatione sine Spiritu Sancto , & reliquis virtutibus facta, ita intricatè istic disseritur, vt neq; lector satis istic se se expedire queat: & Pontificijs cauillandi, & manifestas antilogias nostris Ecclesijs obijciendi ansa fuerit præbita. Cuius articuli quam fæda sit commissa deprauatio in mutatione : testis est Operum Lutheri tomus nonus fol. 306. b.

L VII.

In articulum X. tam turpis ac fæda irrepuit deprauatio , vt stante hac, Confessio ista ne quidem amplius sit , quod dicitur. Nam cum confessioniveræ ac genuinæ is sit expressè scopus propositus, Ecclesiæ orthodoxæ doctrinam non à Pontificia tantum lue : sed Sacramentario etiam cæno quam planissimè seiungere : spuria illa bis sic inflexit sermonem , vt quamuis hæresin Sacramentariam apertè ipsa non approbet : verborum tamen ambiguitate, optatum toti sentinæ Sacramentariæ latibulum præbeat. Quæ quidem sola deprauatio est illa Helena seu Dalila,

362

Delila, quam depereuntes Cryptocaluinistæ, patrocinio sibi comparant, ut furtim se se ingerere in Ecclesiæ reformatas queant.

*LVIII.*

Articulus X VIII. diuersis in locis infartum habet errorem *ouneytas*, quem confessio genuina adeò non agnoscit, ut disertis verbis eidem contradicat.

*LIX.*

Compendio tota res expediri potest:

Prior puram Euangelij doctrinam proponit: posterior, errorum diuersa latibula continet.

Prior plana est & aperta: posterior non paucis in uolucris passim scatet.

Prior lucem minimè fugiens, mascula animositate, quod sentit, profitetur: Posterior trepida est, & effeminate non raro cespitat.

Prior in faciem contradicentes arguit: Posterior quandoq; palpum facit.

Prior Lutherum cum suis scriptis Præceptorem & interpetem agnoscit: Posterior à tramite isto haud obscure in multis deflectit.

Prior ingenua est, nemini adulatur, pro focio non agnoscit, nisi qui errores manifestos abdicat: Posterior, in quoruwuis se se fraternitatem adulando insinuat.

Prior assensum à nemine emendicat, sed liberum cuiuis in vtramq; partem iudicium relinquit: Posterior contrarijs studijs passim occupata visitur. Hactenus pars disputationis aduersariæ prior *uulnus*.

*LX.*

Nunc in contrariam se se partem vertit vespertino, aduersæ sententiæ argumenta refutaturus, Talia autem

C format

format, qualia sibi solutū nōn putat fore difficultia. Eorum primum sic habet, Sunt qui opinantur, vt semel exhibiti sunt articuli, immutabiles eos factos esse; rationemq; addunt, Quod symbola Ecclesiæ mutari aut au- geri non possint.

LXI.

Sic nemo sanus, opinor, vnquam argumentatus est. Verūm sic habet orthodoxa ratio, Quod ab Ecclesiæ Symboli loco constitutum est, ab vno aut paucis priuatis mutari non debet aut potest. Confessio Augustana commune est Ecclesiæ symbolum. Igitur ab vno quopiam aut paucis mutari non debuit. In hoc syllogismo quod secundum quid dicitur, simpliciter enuntiat vespertilio, id est, quod vni vel paucis immutabile appellatur, ἀπλῶς & in vniuersum immutabile ille appellat.

LXII.

Auget mox paralogismum istum barda altera sophistica, confusione plurium quæstionum scilicet. Nam à mutatione, quæ qualitatis est, ad auctionem progre- ditur, quæ ad quantitatem pertinet. Cuius utriusq; in hoc genere diuersissima ratio est.

LXIII.

Nouis orientibus certaminibus, fas est Ecclesiæ, antiquiorum temporum symbolis, quæ posteris sunt communia cum maioribus, nouas appendices subnectere, quibus definiantur ea, quæ nuper controuersa esse ceperunt. At non fas est, mutare eas Confessio-nes, quas fidei suæ symbola esse immota antiquitas voluit.

LXIV.

Exemplo res fiet manifesta. Fidei confessio edita in Synodo Nicena, commune & immutabile fuit Ecclesiæ symbolum

323

symbolum, quod priuato mutare nemini fuit licitum.  
At cum posteris temporibus nouam de Spiritu sancto  
haeresin inueheret Macedonius & Pneumatomachi; Con-  
stantinopolitana Synodus prima Ecclesiæ Catholicæ sta-  
tum repræsentans non mutare quidem Symbolum Nice-  
num potuit: sed propter nouā exortam haeresin, potesta-  
tem liberrimam habuit, addendi eam appendicem,  
quæ nouæ haeresi opposita fuit, Spiritum Sanctum  
esse Dominum viuificantem, qui ex Patre & Filio pro-  
cedat, qui cum Patre & Filio simul adoretur & glorifi-  
cetur.

LXV.

Diuersum utrobiq; in Augustanæ Confessionis sym-  
bolo mutando vsu venit. Nam & quod totius Ecclesiæ  
symbolum fuit, id unus quispiam pro suo arbitrio mutan-  
dum suscepit: & non nouarum haeresium refutationes,  
priori Confessionis formulæ addidit: sed ea, quæ de  
fide sua Ecclesia communi voce ad omnem posteritatem  
profiteri voluit, priuatus quidam in sua Ecclesia variare  
non exhorruit.

LXVI.

Pergit de autoritate Confessionis Augustanæ dispu-  
tare vespertino, idq; comparatè: sed ita disputarè, vt  
compendio potuisset rem omnem absoluere, nimirum se  
dixisset. Nullius momenti esse librum istum symbolicum  
atq; ad Anticyras relegandum. Hanc enim illi intus men-  
tem stare, iurare ausit, qui probè animum aduertit.

LXVII.

Primum libri istius autoritatem cum veteribus sym-  
bolis æquari posse negat: quia illa, vniuersalis Eccle-  
siæ: liber iste, particularis duntaxat Ecclesiæ sit Con-  
fessio.

C 2

Esto

LXVIII.

Esto sane vtrumq; quod pugnat (Diuersum enim quod sciam, Orthodoxus nemo sensit vnquam) Non tam  
amen obtinet vespertilio, quod intendit, nimirum fas  
esse cuiquam priuatim mutare, quod publicè semel Ec-  
clesia, saltem particularis, de fide sua professio est. Ra-  
tio est, Quia vnius fides, non est omnium aut multo-  
rum fides: Et alienæ fidei dominari nemo potest: sed in  
suo cuiusq; arbitrio est fidei, quam edere vult, pro-  
fessio.

LXIX.

Et tam interest priuatæ cuiusq; Ecclesiæ seorsim, ut  
immota aliunde sua constet confessio: quam publicè uni-  
uersalis Ecclesiæ interest, ne symbola ista communia de-  
trimenti aliquid aliunde accipient. Communis enim vete-  
rum Symbolorum confessio, specialibus istis Symbolis,  
determinate magis ad Ecclesiæ particulares pro re nata  
atq; vsu temporum astringitur.

LXX.

Deinde vetera symbola scripta esse dicit vespertilio  
ab Ecclesijs constitutis, & opposita nouatoribus. Au-  
gustanam confessionem scriptam esse ait ab Ecclesia dis-  
iecta & eluctante è tenebris: & oppositam esse errori-  
bus inueteratis, & titulum Ecclesiæ præ se ferenti-  
bus.

LXXI.

Esto iterum, quod stridet vespertilio: an proin se-  
quetur, homini vni in causa publica confessionis, fas esse  
mutare, suopte iudicio, quod tota Ecclesia symbolo sibi  
immoto constituit? Suam igitur confessionem scribere,  
imò iterum atq; iterum scribere Philippus potuit, si ita  
omnino ipsi libuit, Augustanam autem aliam confessio-  
nem

nem scribere, nouum Ecclesiæ symbolum concipere,  
nisi ab Ecclesia ipsa iussus, nullo modo potuit.

31278

LXXII.

Quid verò ad confessionis edendæ negotium, aut symbolum eius constituendum, Ecclesiæ vel constitutæ, vel disiectæ ratio? Miserrimè erat disiecta, imò vix dum colligi cepta, Ecclesia Christi, dum ad prædicandum Euangeliū in orbem terræ digressuri essent Apostoli. An hoc obstatre potuit, quo minus symbolum illi, quod dicitur Apostolicum constituerent?

LXXIII.

Penè unus in toto orbe Christiano ex confessoribus orthodoxis supererat Athanasius, quem Ariana lues non infecerat, isq; & profugus atq; exul, & ab Arianis in Ecclesia rerum potentibus condemnatus. An hoc prohibere potuit, quin symbolum ille fidei orthodoxum in Ecclesia constitueret?

LXXIV.

An Heluetij cum 4. ciuitatibus tempore comitiorum Augustanorum Anno 30. non itidem suam confessionem conscripsérunt? An Gallicana Ecclesia, quamvis in ruderibus planè constituta, superioribus annis non itidem confessionis suæ symbolum edidit?

LXXV.

Sed nescit, quid blateret vespertilio: & dum vellit care ipsi confessionem Augustanam vnicè est propositum, quiduis in contumeliam ipsius arripit. Quale illud cum primis est, quod eam tum demum eluctantem è tenebris constituit.

LXXVI.

Poterat simpliciter dicere, si animi sensum expromere voluisse, quod Neostadiani Caluinistæ dicunt,

C 3

Rudiorem

Rudiorem adhuc fuisse Ecclesiam: poterat dicere, quod Ambrosius V Volfius scribit, Ab erroribus non satis purgatam fuisse Ecclesiam. Sed meminisse interim oportebat, graue futurum esse vespertilioni, Erroris cuiusquam conuincere Ecclesiam reformatam ab eo tempore, quo Confessio ista primum fuit edita. Quæ ergo temeritas est, Ecclesiam invirgineo quasi flore constitutam tam fædis criminacionibus polluere? Et cui homini aut Doctori parcat iste spiritus, qui in Ecclesiam vniuersam non veretur adeò esse iniurius?

LXXXVII.

Iam istud consideret, quisquis fauet veritati. Totis annis 13. immenso studio in repurganda Ecclesia iam tum laboratum fuit: Vniuersa penè Europa scriptis Doctorum Euangelicorum repleta fuit. Accessit Zelus sanctissimus quo animi hominum tunc in negotio cognoscendæ veritatis fuerunt occupati: Taceo disputationes, conuentus, colloquia, comitia, in quibus acerri-  
mè causa religionis agitata fuit, quæ tot isto seculo, tamq; solennia fuerunt habita, quam vix vidit postera aut videbit etiam omnis ætas. Latere patior pericula, cum quibus Confessio ista, tunc publicè edenda, conjuncta fuit. Iam belli isti vespertiliones eluctantem demum è tenebris Ecclesiam istam faciunt; ut sic ruditatis & impuritatis luem isti affricent, quæ puritatis & splendoris exemplum vniuersæ orthodoxæ posteritati meritò futura est.

LXXXVIII.

Quod inueteratis erroribus oppositam fuisse Confessionem dicit, quid hoc ad rhombum? Usu equidem inueterati fuerant: sed quoad agnitionem & iudicium, recentes erant. Acerem igitur rurius fecit vespertilio,

Vetera

LXXXIX.

Vetera symbola scripta esse, porrò dicit, post deliberationes, & munita esse anathematismis: Augustanam Confessionem scriptam esse subito, ad deliberandum, à supplicibus, cum manifesta conditione explicandi ea, quæ visa fuerint obscuriora.

LXXX.

Esto iterum, quod hīc effutit vespertilio. Num hīc consecutaneum erit, In Ecclesiæ publicum depositum, ius esse priuato cuiquam posse? Nihilo magis hoc sequitur, quam si conscientia duci vespertilionem colligas, quia heri in balneo fuerit.

LXXXI.

At tot mendacia hīc de Confessione nostra dixit vespertilio, vel cauilla certè & paralogismos effudit, quot membra in Thesi ista posuit.

LXXXII.

Subito, & sine deliberatione, scriptam esse Confessionem dicit. Hīc mendax & vanus est vespertilio. Ut alias Ecclesias taceam, Elector Saxo, priusquam ditione sua egredieretur, primo statim vere, literis Torgauia datis ad Theologos Vitebergenses, serio mandarat, vt Hist. Aug.  
Conf. fol.  
108.

depositis omnibus alijs negotijs, de certa quadam Confessionis forma deliberent, quam scripto comprehensam, statim ad se Torgauiam ulterius istic deliberandam ponderandamq; afferrent.

LXXXIII.

Deliberatione inter Theologos Vitebergæ habita Luthero datum fuit à Theologis hoc negotij, vt summam Confessionis capitibus aliquot comprehendenderet. Cons. Luth. T. 3. f. 14. Chyr. h. f. 1. scripti sunt ergo ab ipso articuli XVII. quibus summa Confessionis comprehensa fuit, quos secum ad Comitia

mitia Augustana Elector abstulit. Hoc scriptum Luthe-  
ri archetypus fuit Confessionis Augustanæ , quod &  
ordo ipse , & res & verba vtriusq; scripti aperte mon-  
strant.

LXXXIV.

In præf. To-  
ni prim.  
operum.

Iam testis est Philippus, cum negotium concipiendæ  
confessionis in ipsis Comitijs tandem in frequenti Euan-  
gelicorum conuentu tractaretur , præsentibus Prin-  
cipibus & alijs gubernatoribus rerumpublicarum , &  
Theologis disputatum esse ordine de singulis capití-  
bus.

LXXXV.

Iam anathematismis munita esse inquit vetera illa  
Symbola. Quænam? Num Apostolicum? Vacat. Num  
Nicenum? Vacat. Athanasianum mixti quiddam ha-  
bet. Quid igitur blaterat vespertilio?

LXXXVI.

Quid verò , si maximè ita haberent illa vetera ?  
Num ratio esse nulla potuit , cur in nostræ confessionis  
symbolo anathematismi essent omitti?

LXXXVII.

Iam si omitti essent , num ideo fas foret statim pri-  
uato cuiquam in eam inuolare , & pro libitu eam hinc  
inde mutare ?

LXXXVIII.

An verò cæcutire vespertilionem dicemus poitus,  
qui anathematismos in confessione ut minimum vnde-  
cim locis , & sic maxima articulorum parte expressos  
non viderit?

LXXXIX.

Imò , quid est quod peius vespertilionem habeat ,  
cum calua sua cohorte , quam quod articulo decimo ,  
improbata

326

improbata secus docentium hæresi, ita interclusum est  
latibulum Sacramentarijs, vt hoc vno saltem nomine  
cane peius angueq; Confessionem Augustanam ope-  
rint.

*X C.*

Quod ad deliberandum propositam, hoc est, quod  
ad tempus, ut alij loquebantur Sacramentarij, scriptam  
esse Confessionem dicit, id & cum toto instituto pu-  
gnat: & Confessionem ipsam nomine suo spoliat.

*X C I.*

Atqui disertè testati sunt confessores, In symbo-  
lo isto nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab  
Ecclesia Catholica: In articulis istis confessionem suam  
extare, cuius latiorem informationem iuxta Scripturas  
exhibere parati essent. Imò Elector Saxo confessionem  
Cæsari exhibens dixit, se ne latum quidem vnguem inde  
discessurum, quicquid cueniat.

*X C II.*

Addit, à supplicibus fuisse scriptam. Non ausus fuit  
scribere, quod sensit, vespertino. Timidissimos enim  
volet appellare, quos Neostadiani Sacramentarij  
appellare non erubescunt. Furit vespertino, si officia  
carpit, quæ magistratui præstantur à subditis. Si hæc ob-  
sequia fidei ac religioni obstare putat, desipit. Iniquus  
est, si ex viuis forte infirmitate iudicare omnes non eru-  
bescit. Cæcutit plane & surdescit, si de fortissimorum  
heroum, ELECTORIS Saxonis, G E O R G I I Marchio-  
nis Brandenburgici, ERNESTI Luneburgici, VVOLF-  
GANGI ANHALDINI, optimorum non confessio-  
rum tantum, sed verorum Christi Martyrum constantia  
nihil dum cognouit. Projecti pudoris & extremæ im-  
pietatis est, si cognita istorum heroum facta vel obli-

D

uionc

uione sepelire, vel criminibus confictis conspurcare non  
veretur.

X C I I I .

Quæ de conditione explicandi obscuriora adducuntur: nullius in hac re valoris sunt. Impleta est enim hæc conditio, edita quām primū in lucem Apologia. In qua quicquid non habetur expressum, non declarandæ, sed deprauandæ confessioni inuentum & excogitatum esse, nemo intelligens est, qui nesciat.

X C I V .

Quod mutationem in locutionibus, non autem in rebus, suscep̄tam esse tandem obſtrepit: responſo amplius non dignamur. Diuersum enim ſuprā commonſtratum: diuersum lippis & tonsoribus in hac cauſa no-  
tum eſt.

X C V .

Transmittimus illud etiam, quo conſilio, & in cuius gratiam mutatio illa fuſcepta ſit: imò verò vt res ipſa pro nobis loquatur, libenter potius permittimus. Nam vt pijs defunctorum manibus parcatur, quantum in nobis eſt, & ipſi ſtudemus, & alijs autores libenter existi-  
mus.

X C VI .

Si pro defunctis, agendum ſit cum viuis, duobus problematibus rem omnem finiturus, ex vespertilione duo quæro.

I. P R O B L E M A.

*An uilla ſit iuramenti formula quæ Docto-  
randis proponi ſolet in Academijs Euangelicis  
alia, quām haec: Ego promitto Deo aeterno patri  
Domini*

3278

Domini nostri Iesu Christi &c. me Deo iuuante  
fideliter seruiturum esse in Ecclesia, &c. & con-  
stanter defensurum esse symbola Apostolicum,  
Nicenum & Athanasianum, & perseueraturum  
esse in consensu doctrinae, comprehensa in Confessio-  
ne Augustana qua exhibita est Imperatori,  
Anno 1530.

### I I. PROBLEMA.

An fidei satis bona sit, qui publicè præsti-  
to hoc iuramento, Confessionem illam ipsam  
Augustanam postea impugnare, & aliam huic  
præferre non erubescit?

F I N I S.



AMALIENFELD

AN DER STADT  
VON HANAU

2. TOME



Nº 2278

ULB Halle  
003 919 064

3



56.

ND 17 = 00





# Farbkarte #13

B.I.G.



S P O N G I A A B S-  
tersoria

375  
 PRO  
**C O N F E S S I O N E**  
 NE AVGVSTANA,  
 ΓΝΗΣΙΩΣ AC PROPRIE SIC  
 APPRELLATA, HOC EST, IM-  
 peratori Carolo V. Anno 1530. Augustæ  
 in Comitijs exhibita.

*In qua excutienda*

S V B AVSPICIIS SA-  
 CRÒS ANCTAE TRINITATIS  
 PRÆSIDÆ GEORGIO MYLIO  
 D. ac Professore Theologo, responsionum operam  
 præstare pro virili conabitur

M. IACOBVS PFЛАVMIVS  
*Augustanus die 18. Septemb. hora &  
 loco consuetus.*



J E N AE  
*Typis Tobiae Steinmanni. Anno 1591.*

b. 8.